

1767.

23

DISPUTATIO POLITICA

De

MAJESTATE

Quam

adjuvante Deo

in

Inclita ad Albim Academia

SUB PRÆSIDIO

VIRI

Plurimum Reverendi atque Praclarissimi

**DN. M. JOSIÆ CHRISTOPHO-
RI NEANDRI**

Amplissimæ Facultatis Philosophic Adjuncti longè me-
ritissimi, SS. Theologiæ Licentiandi dignissimi, & Eccle-
siæ Stargardiensis ad ædem D. Johannis & Augusti-
ni vocati Pastoris

Dn. Præceptoris ac Studiorum suorum Promotoris omni ob-
servantia colendi placide eruditorum examini

subjicit

JOHANNES CASPARUS FILITIUS

Cüstrino Marchicus Autor & Respondens

Ad D. XXII. Septemb. Horis pomeridianis

In Auditorio Philosophorum.

WITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS BORCKARDI,

1660

Per Dn. G. J. J. J.

64



131





Σὺν τῷ Θεῷ
DISPUTATIO POLITICA

De

MAJESTATE

T H E S E S

I.



Varie se torquent Autores circa Etymon geminum Vocabuli *Majestatis*. Et primo quidem nimis frivolam sententiam fovent, qui Majestatem à *majus* & *stans* originem traxisse asserunt, merito cachinno excipiendi. Id enim si admittendum foret, forte & tempestas à tempus & stans deducere liceret, quod sane inviti concesserint.

Alij eam appellatam volunt quasi *majorem statum*, & hæc derivatio utut prima fronte inconcinna non videatur; meo tamen judicio allusio potius sive Paronomasia, quam vera Etymologia est. Festus verò, qui veritati propemodum proximus accedit, à *magnitudine* dictam putavit, eo quod imperium, amplitudinem, potestatem & dignitatem statûs eminentioris aut sanctioris ut plurimum denotet. *Richard. de Summ. Imper. Potest.* A quo forte alienus non est Cic. quando Majestatem describit magnitudinem populi Romani in ejus potestate ac jure retinendo in part. Orat. Quid itaque statuandum in harum opinionum conflictu? Præ cæteris arridet Becmann. qui vocem hanc Comparativo *Majus* veram originem debere ait, ita ut terminatio Substantivi nihil aliud sit, quam productio Vocabuli, non magis hic spectanda, quam in voce tempestas. Hinc quid sibi sententia primo relata sumat, facile dispalescit.

II. Dicitur alias Græcis ἀρχα ἐτέρσια, κύριον πολιτευμα, κυρία ἀρχή secundum *Bod. lib. 1. de Rep. cap. 7.* Item absolute τὸ



κρείον. Latinis celsitudo Principis, per ea, quæ tradit *Keckerm.* lib. 1. Pol. cap. 4. Item potestas absoluta *Paul. Castrens. ad l. si testamentum C. de testam.* Aliquando etiam plenitudo potestatis juxta *Bald. in l. 2. C. de serv. & agr. Mart. de jurisd. p. 4. cas. 195. n. 22. 34.* & denique superioritas. Est enim hæc Majestatis essentielle proprium juxta *Hippol. à Lap. de Rat. stat. part. 1. c. 3.*

III. Cum autem vocabulum hoc *πολύσημον* sit, ideoque operæ pretium erit, nomen ante omnia ab æquivocatione liberare. Sumitur autem cum primis quadrupliciter. Et (1.) quidem notat quamvis cujusvis rei eminentiam, quo sensu persona quævis & auditu & visu venerabilis Majestatem habere dicitur (2.) accipitur pro dignitatis quadam externa præ eminentia, quomodo sæpe numero Principibus Majestatem non habentibus titulus Regiæ Majestatis tribuitur. Sic in Aristocratia ille, qui titulum Regis sibi vendicat, Regia Majestas salutatur (3.) significat potestatem aliquam publicam, etiam si non sit summa. Sic olim Prætoris contempta Majestas vindicari dicebatur *l. si famul. D. D. de jurisd. Conf. Lips. lib. 2. Pol. cap. 16. Keckerm. lib. 1. Pol. cap. 4.* (4.) tandem sumitur pro potestate quadam absoluta, superiorem haud recognoscente, & sic rursus dupliciter. Vel enim *Concretivè* ipsum Monarcham potestate & Majestate summa, legibusque solutâ corruscantem denotat: Vel *Abstractivè* ipsam potestatem significat. *Jacob. Martin. lib. 2. Pol. cap. 18.* Nos vocabulum Majestatis in ultima significatione accipimus, omissis cæteris ambagibus, Majestatis definitionem nunc brevibus, dextrè tamen tradituri.

IV Notanda probe hic insolentia Bodini Autoris longè doctioris, quam veracioris, quando ait *lib. 1. de Rep. cap. 8. Principio definienda fuit Majestas quam nec Juris consultorum nec Philosophorum quisquam definiit, quum tamen nihil ad Reip. naturam majus, aut magis necessarium esse videatur.* Hactenus Bodinus. Quæ jactantia Bodini quantum à vero distet, satis luculenter arguit definitio Aristotelis, quam proponit *lib. 3. Pol. cap. 6. Majestas est summa potestas in civitate ubique.* Cui definitioni & nos impresentiarum subscribimus.

V. Et quanquam Bodinus objiciat, quod Aristoteles *lib. 3. Pol.*

Pol. cap. 6. *πολίτευμα* esse *πολίτειαν*, & cap. 7. *πολίτευμα* & *πολίτειαν* idem significare, dicat, cum tamen Majestas non sit idem cum rep. nec cum ea idem significet: Nihil tamen hoc ipso efficit. Neque enim res tam negotiosa est, prout ipse frustra sibi imaginatur, & jam dudum objectioni huic alios satisfacisse experimur. Laconice tamen e responsionem huc apponere operæ pretium duxi. Dupliciter nempe aliquid dici meretur idem cum aliquo esse, idemque significare Primo, cum duo vel plura nomina diversa eandem significationem obtinent. e. g. gladius & ensis: Vel si sint duo vel plura nomina, quæ quidem eadem significatione non gaudent, idem tamen in re significant, ut: canis & latrabile: Posteriori modo nos accipimus. Uti enim Majestas penes unum se habet in collatione ad Monarchiam, & Majestas penes Optimates in respectu ad Aristocratiam, quæ in re idem sunt, ita quoque se habet *πολίτευμα* s. Majestas ad *πολίτειαν* s. Remp.

VI. Sed ad definitionem ipsam progredior, ex qua patet, quatuor ad Majestatem requiri. Primum Majestas sit *potestas*, necesse est, sicut autem alias vocabula limitantur secundum conditionem artis & materiæ, in qua tractantur: Ita etiam h. l. Majestas non accipitur in sensu Metaphysico, prout opponitur actui. Neque (2.) agendi potentiam denotat; Sed (3.) in sensu Politico sumitur pro imperio sive jure personæ in personam & consequenter ejus bona, Conf. l. 215. D. de V. S. Frustra tamen colligit *Grot. lib. 1. de I. P. & b. cap. 1. n. 6.* Principi in bona subditorum competere dominium aliquod eminens. Cui & alij ad stipulantur, aliis tamen aliter placet, qui quidem Majestati jus adimendi subditis bona, siquidem necessitas ac publicum commodum id exigat, minime denegatum eunt: Id tamen non propter dominium aliquod eminens, quod majus dominium Majestati quam Dominis singularib. inferret; sed ob salutem publicam fieri asserunt, ita quidem, ut etiam eo in casu Majestatem dicant, paratam esse debere ad refarciendum subditis damnum, curandumque, ut pretiū ab eis, ad quos utilitas pervenit, refundatur.

VII. Deinde requiritur, ut Majestas, sit *potestas summa*. Ita

autem appellatur non simpliciter & absolute, quasi nullum agnoscat superiorem. A Deo enim tanquam à Rege | Regum & Domino Dominorum omnis dependet Majestas. Hinc egregie Agapetus Diaconus in Basilicis cap. 68: Κύριος μὲν πάντων ἐστὶν ὁ βασιλεὺς. δὲλος δὲ μετὰ πάντων ὑπαρχει τῷ Θεῷ. h. e. Rex quidem est Dominus omnium, ipse vero cum omnibus servus Dei est; Sed summæ dicitur κατὰ τι secundum quid, quatenus nempe in rep. superior non datur, quemadmodum primus, quo non datur prior. Et hoc ipso differt à Magistratu, nimirum quod Majestas (ut jam dictum) à nemine sit nisi à Deo, & ad nullum nisi ad Deum se referat. Magistratui autem, utut largiar potestatem aliquam, ea tamen in collatione ad Majestatem, quæ fons & origo omnis Magistratus, plane exspirat. Sed cum & Reges quandoque dicantur Magistratus, id hic suppressere non possum, quod in sensu latissimo ac improprio vocabulum Magistratus summam etiam denotet potestatem. Nos autem vocabulū Magistratus in Politicis accipimus stricte pro ea potestate, quæ summæ subjacet.

VIII. Sed cum Majestas summa esse debeat, non immerito quæritur: num communicari possit aliis, ita ut nihilominus summitas illa salva ac illibata maneat? Distinctione rem expediri posse existimo inter communicationem ac translationem ipsam jurium Majestatis: Et inter communicationem exercitij eorundem. Facile equidem admitto, nequaquam detrahere Majestati, si alios exercitij jurium Majestatis participes eos reddat. Neque enim omnibus oneribus ferendis par esse poterit, qua de causa necesse habet alios substituere, qui onera humeris suis imposita relevent. Interim veram alicujus juris Majestatis delegationem sine enormi ejusdem læsione fieri posse, minime arbitror, ut si e. g. adsciverit quempiam in summæ potestatis, quæ circa leges erat, consortium, non poterit postea absque ejus consensu ullam ferre legem, quo sane ipso Majestati delegantis statim non nihil decedit.

IX. Et ne quid silentio circa requisitum hocce involvisse videar, summitatem istam non æstimandam ex modo deferendi imperii (Sive enim per successionem, sive per electionem de-

feratur imperium, summum tamen propterea esse non desinit;)
Sed ex imperandi modo, quatenus nempe actus ejus haud reddi
queunt iriti, cum *Grotio statuo lib. I. de Jur. pac. & Bell. cap. 3.*
n. 10.

X. Porro ad Majestatem requiritur, ut sit summa potestas in
civitate sive republ. Civitas enim formaliter accepta ipsam rep.
significat. Quamquam enim extra rep. suam Majestas æqua-
lem sibi habeat potestatem, si modo in rep. nemini subsit, nihil
ipsi hoc officiet. Sic quilibet Rex Majestatem habet, etsi eorum
complures in mundo dentur, modo singuli in sua rep. parem
non agnoscant. Atque hinc liquet, Patribus famil. antequam
civitates cœperunt, omnem defuisse Majestatem, Utut enim
ipsi summa pollerent potestate, cum tamen omni destitnerentur
civitate, Majestatis nomen merito iis denegatur.

XI. Denique requiritur, ut sit summa potestas in civitate
ubiq. Quod ipsum non ita intellectum volumus, ac si Majesta-
tem non haberet, qui in *omnes* provincias, omniaque loca, at-
que adeo omnes totius mundi incolas imperium non obtinet.
Ita namque nemini hominum Majestas competeret, & parum
omnino, imo nihil ad Majestatis essentiam provinciarum, loco-
rumque multitudo conferet, & æque ipsi Majestatem largior,
qui uni alicui provinciae libere & cum plena potestate præest,
quam qui plurimis; Sed intelligendum hoc ratione particula-
rum seu jurium Majestatis, quod nimirum Majestas non tantum
in aliquibus; sed in omnibus summam potestatem obtineat,
adeo ut actus ejus ab alio non possint reddi iriti. Hi enim, si
alterius juri subsint, tantum abest, ut Majestatem habeat, ut po-
tius eam omnibus modis ei dignemus.

XII. Sunt qui præterea ad Majestatem requirunt, ut sit *per-*
petua potestas. Verum enim verò, quod pace eorum dixerim,
vix est, quod agnoscamus hoc necessarium Majestatis requisi-
tum. Nam juxta *Grotium lib. I. de Jur. Pac. & Bell. cap. 3. n. 11.*
non tempus aut duratio tantum valet, ut internam summæ po-
testatis naturam adeo concutere possit, quo talis esse desinat.
Ac proinde Dictatori Romano summam competiisse Majesta-
tem, asserere haud dubito, utut ultra septimū mensem regni gu-
ber-

bernaculis uti ei non licuerit. A qua nostra sententia non est aliena l. 2. § 18. D. de Orig. Jur. quicquid dissentiat *Bodiu. lib. 1. de Rep. cap. 8. fere in princ. p. m. 124.* Interim conferri potest *Excellentissimus Dominus Zigler. ex. 1. de Jur. Maj. th. 24. 25.*

XIII. Alij Majestatis idioma quoque necessarium volunt, esse indivisibile. Ita censet *Bod. lib. 2. de rep. cap. 1.* ejusq; vestigiis inhæret *Brautl. lib. 3. Jur. publ. cap. 2. § 10.* Contrarium propugnat D. Jacobus Martini atque alij, cui sententia & ego adstipulor, Majestatem & in se & ratione exercitij spectatam divisibilem esse asserens. Est enim, omnibus consentientibus, Majestas totum aliquod potestativum, ex variis potestativibus aggregatum, quicquid verò ex partibus constat, id in partes eas dispesci posse, ne anus quidem vecors in dubium vocaret. Et quanquam indivisibilis quandoque dicatur Majestas; id tamen eo tantum respectu fieri censeo, quatenus, si ei aliquid detrahatur, jam Majestas esse desinit, siquidem, non amplius potestas summa ubique sit. *Qua ratione ulla & quavis mensura dicitur indivisibilis. Plura interim videri possunt apud Excellentissimum Dominum Zigler. Exerc. 2. de Jur. Maj. princ.*

XIV. Cœterum quod Majestas legibus sit soluta, ex iis, quæ hæcenus de Majestate diximus, liquidum est. Qui enim neminem agnoscit superiorem, sed ipse summam habet potestatem, ille nec leges agnoscere potest, utpote quæ sunt scita potentia superioris. Cum igitur de Majestate dictum sit, eam esse potestatem summam, sponte hinc fluit, quod legibus obstricta esse nequeat. Interim operæ pretium erit, brevibus attingere, qua ratione dicatur Majestas legibus soluta. Ubi ante omnia probe distingvamus, necesse est, inter leges Divinas, naturales & positivas. Divinas quod attinet, utique Majestas eis omnino soluta non est, quandoquidem, quod jus omnes obligat homines, id non eximit eos, qui ad summam potestatem evecti sunt. Atque jus Divinum omnes obligat homines. E. Et sanè Majestatem habens non nisi respectu Dei subditus ejus adeoque civis mundanus est, ut proinde recte proclamet *Horat. lib. 3. od. 1. Reges in ipsos imperiū est Jovis.* Cum itaq; respectu Dei Rex sibi nullā possit vendicare Majestatem; sed eam in solidum sibi adscribat Deus, cur

cujus subditus est, sequitur, quod ejus quoque legibus subjectus sit.

XV. Idem esto iudicium de legibus juris naturæ, quibus tanquam ab ipsa natura insculptis Princeps quoque tenetur. Jus enim naturæ quid aliud est, quam jus Divinum, ratione tantummodo distinctum? & juxta Blondum Jurisconsultum, quem citat *Brautl. lib. 3. j. p. cap. 1. § 7.* jus naturæ est ipso principatu ac imperio potentius. Hinc Princeps, si à juris naturæ præcepto non nihil deflectat, utut humanas pœnas non metuat, Deum tamen vindicem eo experietur graviolem, quanto magis peccavit, fatente *Hahn. obs. ad D. de ll. n. 7.*

XVI. Nunc ad positivas leges devenio, quæ partim juris gentium, partim juris civilis. Juris gentium legibus Principem obligari, certi juris est. Summæ enim iniquitatis esset, si Princeps eis se explicare legibus amaret, quas omnes pene gentes approbarunt. *Brautl. lib. 3. jur. publ. cap. 7. §. 8.* Et id ipsum quoque testatur experientia quotidiana. Sic enim Princeps tenetur servare contractus, quorum intuitu non consideratur ut Princeps summus; sed ut privatus. Item non potest subditis auferre bona sua citra necessitatis casum, & si quæ sunt similia. *Conf. Hahn. obs. ad D. ll. n. 7.* Distingvere tamen hic solent inter vim legum coactivam & directivam. Quæ hætenus diximus omnia intelligi volunt quoad vim directivam. Coactivam enim si spectes, utique Princeps nullis legibus astrictus est, cum violenta actio principium requirat externum. Sed quia nemo in terris eo est superior, nemo quoque ad leges servandas eum coget. Plura si desideres, *conf. Arnif. lib. 1. de jur. Maj. cap. 3. n. 12.*

XVII. Denique circa leges juris civilis observat Hahnus, quod aliæ sint Universales, aliæ Particulares. Universales d. l. appellat, quæ à Principe feruntur, ut toti communes sint civitati, & ut rationes, ob quas feruntur, ad ipsum etiam Principem extendi possint: Particulares vero, quæ certo ex civib9 ordini præscribuntur. Illis Principem obligari quoad vim directivam, statuit, quoniam ibi consideretur, quatenus est pars communitatis. Nec movet eum, si quis dicat quod majestas sua sic obligetur lege. Id enim fieri posse, extra omnem dubitationis aleam positum est,

B

licet

licet non directe, tamen per obliquum, ex equitate naturali, quæ vult partes componi ad rationem integri. Et sanè digna est vox Majestate regnantis, legibus se alligatum profiteri Principem: inveniunt Imperatores Theodosius & Valentinianus in l. 4. C. de ll. Particularibus verò eum non aliter obligari dicit, quam si ipsum quoque concernant. Hahn. d. l.

XVIII. Atque hæc circa definitionem ejus occasione explicare volui. Jam breviter causæ erunt perstringendæ. Et primo quidem, quod causas attinet internas, Forma ex iis, quæ dicta sunt, constat. Unde crambem hic bis haud recoquimus; sed potius ad Materiam nos convertemus, per quam h. l. Subjectum intelligimus, cui nempe Majestas inest. Inest autem ea ipsa omni reip. perfectæ. Sic in regno est penes Regem, in Aristocratia penes Optimates, in Politia penes populum, in rep. mixtâ penes eos, qui τὸ κρείον in rep. habent, in Imperio Romano - Germanico penes Imperatorem, Electores, cæterosque imperij status. Quòd tamen postremum valde inter Doctores controversum est. Multi enim contendunt, soli Imperatori competere Majestatem, inter quos est Reink. de R. S. & E. lib. 1. cl. 2. cap. 2. & cum eo Rümel. ad A. B. diff. 5. th. 10. Wesenb. parat. ad D. de ll. aliq; quam plurimi, urgentes maxime speciosum Majestatis titulum, quo insignitur Imperator Romanus. Enim verò Majestatem externâ pompâ ac tituli splendore dimetii mera est oscitatio, & effusataium verborum pompa non magis Imperatoris potestatem auget, quam Regis Romanorum. Sed nolo de his pluribus agere, ne falcem in alienam messem mittere videar.

XIX. Jam sequuntur Causæ externæ & (1.) *Causa Efficiens*, quæ nihil aliud est, quam origo Majestatis & ejus conservatio. Est autem origo vel Divina, vel humana. Divina est, quâ Deus imperium & potestatem Principibus ac Regibus hoc in mundo vicem Dei sustinentibus decrevit. Hinc Sap. 6. v. 4. dicitur: a Deo data est vobis potestas & virtus ab altissimo, quoniam essis ministri regni illius: Et Rom. 13. v. 1. Non est potestas nisi à Deo, quæ verò sunt potestates, à Deo sunt: Itaque quisquis resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Atque hinc quoque fluxisse existimo formulam Majestati usitatam: Nos Dei gratia; Et quan-

quanquam & superiorem recognoscentes eo se titulo insigniri
patiantur, ut Germaniæ Principes, in eis tamen tantummodo
pietatis formula est, in Majestate vero autoritatis. Interim Conf.
Boxhorn. lib. 1. Instit. Pol. cap. 4.

XX. Confert autem Deus Majestatem vel immediate, ut
Davidi: vel mediate per homines. Atque hinc humana Maje-
statis origo, quâ alicui per certa media ab hominibus profecta
Majestas defertur. Estque vel Ordinaria, vel Extraordinaria.
Ordinaria fit per successionem ac electionem. Successio locum
habet in regnis hæreditariis; in cæteris electio, quæ hodie & in
Imperio nostro Romano-Germanico locum sibi vindicat, &
peragitur per octo Electores. Quod verò Germani electionem
amplexi sunt, prænantem credo rationem, quod libertatis sint
amantissimi, unde & pro ea servanda contra Romanos sæpe ar-
ma sumpserunt. Jam verò dudum innotuit, quod uti successio-
ne aurea libertas, si non plane tollitur, nimio opere tamen peri-
clitatur, ita electio exerat sese in auram liberiores, & nisi invi-
diæ nebula hunc obfuscarit Solem, radios suos longe lateque
emittat.

XXI. Extraordinaria est vel frequentior, vel rarior. Fre-
quentior, quâ Majestas obtinetur vel *mediis pacificis*, quâ ratio-
ne Elector Bavariæ possidet partem Palatinatus: *Vel jure dotis*,
quo jure Albertus Austriacus possedit provincias quasdam Bel-
gicas. Et Johannes Calinius anno 1410. ducta in uxorem Ma-
ria, Bauscorum familiæ ultimâ Auraici Principatus hærede,
dotis loco principatum ad posteros transtulit. Sic Philippus quo-
que Austriacus ductâ in uxorem Ferdinandi Regis filiâ, potitus
est Hispania & Castilia: *Vel jure belli*. Sic Alexander M. potitus
est regno Persico: *Vel deniq; Testamento*. Sic Burgundiam & re-
gnum Arelatense Rudolphus Rex ejusdem Conrado II. Impera-
tori Testamento reliquisse legitur, quod ab adversariis occupa-
re desiderantibus vi & armis defendit, & Imperio Romano sub-
jecit.

XXII. Rarior est, quâ Regi vel Principi fortuito aut casu Ma-
jestas committitur. Sic de Tamerlane legimus, quod à Pastori-
bus Rex designatus, horum auxilio Regno Persico potitus sit.

Item de Dario, quod hinnitu equi ad Imperij gubernacula tran-
scenderit. Sed an sorte liceat Imperij ad se derivare habenas?
Resp. extra necessitatis casum sorti rem neutiquam committen-
dam esse. Interim si (1.) dissentientibus personarum, jus eligen-
di habentium suffragiis, duo pares virtute & autoritate nomina-
ti sunt: si (2.) Electio per suffragia invidiæ, turbis, odiis & mo-
tibus publicis occasionem præbitura esse videatur, tunc utique
litigium hoc, quod aliter dirimi non potest, sorte dirimere licet.
Conf. Bodin. lib. 6. de rep. cap. 5.

XXIII. Restant adhuc Causæ conservantes, quæ sunt Leges
& arma. Duo namque diversa tempora existunt, quibus Majestas
exercenda. Aliud pacis, quo legibus rep. fundare necesse ha-
bet Majestas. Ut n. corpora nostra sine mente; sic Majestas si-
ne lege suis partibus ut nervis & membris uti non potest. *Cic. p.
Cluent.* Aliud vero cruentissimæ beluæ Bellonæ, quam, si pro-
be Majestas armis instructa fuerit, facile concutere, ac insidiam-
tem propellere poterit. Atque hinc Imperator noster sacratissi-
mus Majestatem legibus armatam, non minus rite quam scite
docet, ad indigitandum, alterum alterius semper indigere ope-
râ, quippe quod tam militaris res legibus in tuto collocetur,
quam ipse leges armorum præsidio ferventur.

XXV. Causam Efficientem excipit Finis, qui vel Divinus,
vel humanus. Divinus est salus Ecclesiæ ac veræ religionis pro-
pagatio sustentatioque, quam præ cæteris intendere Majestati
convenit. Optimus enim animus pulcherrimus Dei cultus est.
Sen. Et Christianorum omnis religio est vivere sine scelere &
macula. *Lactant. l. 5. cap. 9.* Hinc sua sponte elucescit, quanta
in errorum foeditate versentur, ex quibus Princeps fere Althu-
sius, nullam circa religionem Principis curam esse, dilucide pro-
pugnantes. Equidem utut curam internam Principi minime
largiar, quippe quæ ministris verbi Divini adimenda neutiquam;
externam tamen citra ingentem audaciæ notam vix ac ne vix
quidem abnuere poterò. Sic namque Principi licet religionem
in rep. introducere, reformare, Sacerdotes ac personas Ec-
clesiasticas constituere ac remove, bona itidem Ecclesiastica
administrare aliaque multa, quæ lubens sileo. A quo neque
Scri-

Scriptura S. aliena est, ubi Magistratum utriusque tabulæ custodem appellat, & alibi Ecclesiæ nutritium. *Esai. 49.*

XXV. Alter Finis ut pote humanus consistit in regni & subditorum incolumitate naturali, morali & civili. Abominandi hinc penitus, qui nimis laxas habenas suis injiciunt subditis à Deo sibi subjectis: Cives qui dimittunt impunitos, eisque fenestram ad vitia aperiunt. Ibi enim ut temporum vices verti vides, ita & temp. Idem quoq; expectandum fore existimo, ubi parum pensi curam reip. habet Majestas, ubi subditorum bona dilapidat, eosq; penitus diglubit. Utut enim Majestati liceat; vitio tamen & reprehensione ac dedecore naturali non caret, qui honestatem, quæ svadetur, negligit. Hinc Claudianus Honorium sincere adhortatur, ne quid liceat, sed quid deceat, in vitæ atq; imperij ratione instituenda spectet, neq; magnitudinem potentiæ suæ licentia peccandi dimetiatur.

Nec Tibi quid liceat, sed quid fecisse decebit,

Occurrat, mentemq; domet respectus honesti.

Est enim aliquid, quod non oporteat, etiamsi liceat. Quicquid vero non licet, certe non oportet. Quicquid enim non licet, honestum non est, ideoq; non oportet. At non quicquid licet, id etiam honestum est. Unde Cic. Vestri consilij, inquit, vestraq; sapientiæ est, judices, spectare, quid deceat vos, non quantum liceat vobis.

XXVI. Atq; hæc de causis tradenda duxi, quæ pro instituto nostro pedissequam habent Divisionem. Dividitur autem à plebisq; Politicorum dupliciter. Primam Divisionem à subjecto sive materia petunt. Hinc Majestatem aliam constituunt *realem*, aliam *personalem*. Ita sentiunt *Grot. lib. 1. de Jur. pac. & bell. cap. 3. n. 7.* *Kirchn. de rep. disp. 2. §. 3.* *Brautl, lib. 3, jur. publ. cap. 2. §. 8.* multiq; alij. Majestatem realem vocant, quæ cum imperij sive reip. eminentia nascitur, & cum ea interit. Personalem verò, quæ in personam imperantem confertur, cum ea perdurat, eam sequitur, quo abit, & tandem cum ea concidit. *Brautl. d. l. E-* nim vero merito hæc displicet Divisio aliis accuratioribus Politicis, *Arnif. de jur. Maj. cap. 3. Cellar. lib. 2. Polit. cap. 7.* eo motis fundamento, quod aut Majestas summa sit, aut restricta sive li-


mitata. Quod si summa, utiq; ne hilum quidem Majestatis sibi reservavit populus, si verò restricta sit Majestas, utiq; non est Majestas. At verò ipsi fatentur, Majestatem esse summam potestatem, superiorem haud recognoscentem, & tamen personalem reali inferiorem faciunt. Quo sane eveniret, ut populus quidvis in Regem statuendi, & statutum exequendi sibi assereret potestatem, ac proinde Rege superior esset, quem tamen Majestatem esse volunt. Adeoq; ex mente ipsorum Majestas est summa & non summa, quæ sane contradictoria. Quibus accedit, quod potestas imperandi subjecto minime inesse possit, eo quod se mere habeat passive.

XXVII. Probare equidem conatur hanc divisionem Steph. Jun. Brut. in Vindic. cont. Tyr. q. 3. ex eo fundamento, quod regnantium potestas multis modis sit inferior potestate populi, quandoquidem imperantes à populo creantur. Enim vero recte respondet Cell. quod si id admittendum foret, quod constitutus superior sit constituto, & servum Domino, & uxorem marito superiorem inconcinne non dixeris. Est quippe constitutio hæc initio quidem voluntatis, ex post facto vero necessitatis, in qua non procedit, constituentem constituto esse superiorem. Id enim eo demum casu obtinet, ubi constitutionis Effectus à voluntate constituentis perpetuo pendet. Sed in super quoq; firmat sententiam suam, quod imperantes propter populum sint. At vero propter quod unumquodq; est tale, illud magis est tale, hinc concludit populi potestatem superiorem esse. Verum respondet Arnif. de jur. Maj. cap. 3. Tutor est propter pupillum, Medicus propter patientem. Præceptor propter discipulum, Paterfamilias propter familiam. Ergone discipulus Præceptore, familia Patrefam. æger medico, pupillus tutore præstantior.

XXVIII. Cæterum, quod coronidis loco subjicio, alteram Divisionem ab Objecto desumunt, in majora & minora Majestatis jura dispescentes. Ita Brautl. lib. 3. Jur. publ. cap. 2. §. ult. Cellar. lib. 2. Pol. cap. 30. Quæ Jura Majestatis commode dignosci posse censeo, quod illa Majestatis personam principaliter ornent: hæc fiscum imperij augeant, & Majestatis quasi subsidia-
ria

ria sint. Itaq; si ad Majestatis supremum decus & auctoritatem
sine pecuniario commodo spectent regalia illa, majora erunt, si
verò ad locupletandum fiscum Majestatis respiciant, minora
sunt. *Conf. Bocer. de regal. cap. 2. n. 4.* Pluribus de singulis
non agam, alibi forte, volente sic Deo, sese nobis
objiciet occasio, quâ de singulis in specie
differendi copia erit.

SOLI DEO GLORIA!



Ad Præstantissimum, atque Doctissimum
JOHANNEM CASPARUM
FILITZIUM.

LL. Studiosissimum

De

MAJESTATE

egregiè disputantem.

Quid sit *MAJESTAS*, docto trutinare labore,
In Cathedra gestis. Sed & ornamenta subinde
EFJUSDEM, LEGES sanctas veneraris, & ARMA.
Hæc alij tractent: LEGUM Te cura fatigat,
Quas alacrisanè studio vehementer anhelas.
Nullus ego dubito, quin spes Te pulchra, FILITZI,
Jam pridem foveat, quam MAJESTATIS ab ore
Omnes accipiunt cultores juris & equi.
Hæc ætas stabiles studij commendat amores,
Ut provecta Deo, Patria, Tibi serviat opto.

DIEDERICH COCH, J. U. D.
Ad

Ad
Eximium & Præstantissimum,
D N. RESPONDENTEM
Contubernalem suum dilectum,

RAræ, FILITZ, industriæ
Exemplar & modestiæ
Tuis fuisti Civibus,
Postquam vidisti Leucorin.
Ut ergò diligentiam
Constet domique de tuâ,
Nunc docta luci themata
Exponis. Hæc ut masculè
Quoque tuearis nobilem
Palmam reportans, pectore
Precor calente. Pergito,
Capisti, ut hætenus. Suo
Sic Cive tandem Patria
Gaudebit atque proderis
Multum rei sic publicæ

gratulab. scrib.
PRÆSES.

QVid sit Majestas, habeant quæ jura Monarchæ,
Doctè de Cathedrâ: Fautor amande, doces,
Conatus laudo. Coeptis benedicat JOVA,
Quo Patriæ possis esse aliquando decus.

*Paucula hæc Pereximio ac Præstantissimo Dn. Res-
pondenti Conterraneo ac Contubernali
suo dilectissimo apponere voluit,
debut.*

Johannes Heinricus Stephani
LL. Studiosus.

WITTENBERG, Diss., 1660


ULB Halle 3
003 484 572




56

1077







B.I.G.

Farbkarte #13

LITICA
ATE

23

1660

M

9

leo
ademia
DIO

Præclarissimi
RISTOPHO-
DRI

ic Adjuncti longē me-
di dignissimi, & Eccle-
phannis & Augusti-
ris
n Promotoris omni ob-
torum examini

RUS FILITIUS

& Respondens
is pomeridianis
phorum.

E
CKARDI,

See end of June

